

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Cainvs.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

ut id g) conterat tibi caput, tu autem ei calcem,
 Te quoque fœmina afficiam plurimis doloribus
 & ærumnis, ut cum dolor parias, & tota pendeas
 ex imperio viri tui. Et tu, Adame, quoniam, mo-
 rem gerens uxori tuæ, comedisti de arbore, cuius
 efū interdixeram tibi, habebis terram infecundam
 tua culpa, & ex ea quæres victum laboriose, dum
 vives, cum interim ipsa procreabit tibi carduos &
 sientes. Tu vesceris herbis terra nascentibus, &
 cum sudore vultus parabis victum: donec redeas
 in terram, ex qua ortus es. Nam pulvis es, & in
 pulverem redibis.

SENTENTIA.

Ob unius hominis inobedientiam mors intravit in mundum. Disce puer obedientiam.

CAINVS. Genes. 4.

ARGUMENTVM.

DEVS Cainum damnat ob fraticidium.

Jova, Cainus.

Caine, a) ubi est Abel frater tuus? C, b) Nescio: nunquid ego sum custos fratri mei? J. Quid fecisti? Ipse languis fratri tui edit ad me clamorem de terra, quam ob rem uteris terra infesta, ut quæ aperto ore hauserit sanguinem fratri tui, de tua manu, ea non præbeat amplius vim suam tibi colenti. Tu errabis vagus per orbeum terrarum. C. c) Mea culpa est major, quam ut possit

A 2

remitti.

g) Prima promissio Messiae,

a) Primus homicida.

b) Deum frustra latere volunt impii, quem nihil latet.

c) Audacis facinoris comes desperatio.



remitti. En ego hodie exterminatus a te, ex ipso solo terrarum errabo vagus per orbem terrarum, fugiens tuum conspectum: ita, ut qui proximus invenerit me, interficiat. *Z. d)* Imo vero quicunque interfecerit Cainum, subibit pœnam septupli. Quare apponam tibi hanc notam, ne, si quis incidet in te, perimat te.

SENTENTIA.

Injusti nequeunt ferre justos. Quæ clam perpetrantur, palam punientur.

LOTHVS. Gen. 18, 19.

ARGUMENTVM.

Abrahamus excipit Genios hospitio: & Jova ei prolem promittit, consiliumque suum de Sodomæ eversione patefacit. Idem facit deinde Lothus, & a Geniis eripitur ex periculo.

Abrahamus, Jova, Genii duo, Puer, Sara, Lothus, Uxor Lothi, Sodomitani.

Video tres homines adversum me. Non dubium est, quin sint defessi de via, præsertim hoc tanto æstu: quare curram *a)* eis obviam, ut retineam eos apud me. Domine! si vis facere mihi gratissimum, noli alio potius divertere, quam ad me. Lavabitis pedes paucula aqua adhibita, deinde requiescetis sub arbore. Ego interea curabo vobis parandum panem, ut recreetis animos vestros:

d) Hinc perpendendum est, quantopere abhorreat Deus ab homicidio.

a) Pii sunt ad benefaciendum veloces, & aliis benefacere beneficij loco ducunt.

